

tram adimus et amantissimi Pontificis Pii IX divinitus suscitato successori, filialis nostræ pietatis et omnimodi obsequii testimonium exhibemus.

Acerbissimo quidem mœrore oppressi fuimus de morte illius quem tamdiu Ecclesiæ suæ pastorem Christus servaverat ut quasi immortalem haberemus; attamen non contristati sumus sicut et ceteri qui spem non habent, scientes illi qui sicut bonus miles Christi tam constanter laboravit, tam forte certamen certavit, tam invicto animo fidem servavit et tam gloriose, terrena non metuens, cursum consummavit, repositam esse coronam justitiæ quam reddet illi Dominus in illa die justus iudex.

Ad hæc addidit Christus maximum consolationis et spei motivum, quando immensa ejus pietas, nolens nos orphanos relinquere, suscitavit sibi sacerdotem illum fidelem, juxta cor suum et animam suam, cui nomen Leo XIII. Ædificet illi Dominus domum fidelem, conservet eum, vivificet eum; beatum faciat in terra et non tradat eum in animam inimicorum ejus!

Debita cum reverentia et exultatione epistolam encyclicam accepimus, quam die solemnî Paschæ edidit Sanctitas Vestra ad omnes totius orbis præsules.

Quas condemnationes et protestationes confirmavit et iteravit, eas quoque pronuntiamus, idem sapientes et loquentes.

Sedulam impendemus curam ut cœlestium doctrinarum semen per dominicum agrum diffundatur et catholicæ fidei documenta fidelium animis mature inserantur, altas in eis radices agant et ab errorum contagione incorrupta serventur.

Fremuerunt quidem gentes, populi meditati sunt inania, astiterunt reges terræ et principes convenerunt in